

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 813

1701

ASCETICI.

1702

Ave misis imperatrix,
Ave vite restauratrix,
DCCIX.

Ave potens advocatrix
Ave legis noue latrrix &c.

edito in Opp. omn. Parif. 1667.
 p. 407. f. Initium: Heinrico dei
 gracia illustrissimo anglorum regi
 &c. Finis: altissimi filius ihesus
 christus qui cum patre et spiritu
 sancto triumphat et regnat &c.

III. fol. 76. p. 2. praemissis 7.
 Versibus de totidem Virtutibus,
 qui retro lecti totidem Vitiorum
 sensa exprimunt, et admodum hi-
 uisci sunt, *Incipit forma mundi. Di-*
cta alias Imago mundi, et T. XX.
Biblioth. PP. Lugd. cum aliis
Honorii Solitarii, seu *Augustodun-*
nensis Operibus p. 966. reprae-
 sentata. Adscribam tamen hic,
 quae ibi non reperio. Primum ante
Christiani ad Honorium Epistola
 istud Praefamen habemus:
Duo sunt sibi contraria. status et
motus. Hic liber scribitur de mun-
do. qui loco continetur, per tem-
pus mouetur. Primus liber est de
loco in quo mundus statuitur. Se-
cundus de tempore per quod uolui-
tur. Tercius de serie generacio-
num que sibi locis et temporibus
succedunt. Dein post Honorii Re-
sponsum nobis Honorius invitat
lectorum ad legendum. Ita quidem:
Rogo autem te lector si tamen pre
domina invidia audeas. ne huius o-
pusculi latorem uilipendas. Ego
quippe uigilaui ut tu dormias. ego
laborauit ut tu quiescas. Tuus so-
lummodo labor erit, ut per legen-
da intelligentia implearis, et scien-
tia preditus clarus ab omnibus ba-
bearis. Si autem quod magis spero
rabido corde et nebulosa facie bijs
floscu-

R. 3127 Codex membraneus lat. Sec.
 XIV. et XIII. Folior. 186. 4.
 plurum manibus partim per duas
 columnas, partim lineis longis,
 potissimum tamen eleganter exa-
 ratus, et rubricis distinctus hanc
 Notam praefert: *Iste liber est fra-*
trum carthusiensium Domus Porte
beate Marie virginis in Axpach
provincie Austrie (infer.) fundacio-
nis domini Haydemici de Meyssan
ac sue conthoralis domine Anne de
*chürring quorum anime requie-
 scant in pace. Amen. Est vero*
Compilatio sequentibus constans:
I. Expositione prolixa Orationis
Dominicae absque titulo, litera
 capitali deaurata, ad calcem ta-
 men ita subscripta: *Explicit istud*
opus super Pater noster per ma-
nus fratris Johannis Cutnensis.
 Hunc Librarium potius habeo,
 quam Autorem Expositionis, quae
 incipit: *Pater noster qui es in ce-*
lis. et cetera. Karissimi. vos scire
debetis quod inter omnia opera que
possunt fieri in hac vita. nullum o-
pus est honorabilius nullum leuius
nullum utilius. quam orare Deum
&c. Si tamen Johannes ille, vel
alius Bobemus Autor foret, nihil
ad quartam Petitionem de Cali-
ce, sed de solo Pane eucha-
stico.

II. fol. 52. Incipit tractatus
Petri bleſen. super Job. Exem-
plar perfectius illo, quod jam alio
Cod. indicavi, non tamen Textu

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 813

1703

C O D I C E S

1704

flosculis ornate contextis liuidum dentem imprimis. ac rosigerum seratum candidulis lilijs connexum venenata lingua carpis. invidia quidem te ut proprium suum caligini ignorancie inuoluet. me autem benigniuentia per lumen scientie ad gloriam et honorem perducet. Liceat dubitare, galeatum hunc Prologum ab ipso profectum esse Honorio; interim tamen adjicere placuit. Operis initium: Mundus dicitur quasi undique motus &c. Sub finem, ubi Edita legunt: Roderick Abbas claret, Codex habet Hodker. Quid si scribendum Notker, Notgerus, quem etiam L. IV. de Scriptt. Eccl. c. 9. Honorius perperam S. Galli Abbatem fecit? Sistunt Edita in Friderico I. Imp. Codex vero superaddit: Heinricus filius eius IX. annis regnauit, et continuo adtexit Seriem pontificum Romanorum a D. Petro, et quidem a prima manu usque ad Martinum IV. cui manus recentior adjecit: anno Domini M°. CC°. LXXXI. sedit annis tribus, et mox Seriem perduxit usque ad Gregorium XII. eleatum exeunte a. 1406. In Editis citt. reperitur haec Series post Librum IV. de Philosophia Mundi p. 1026. ubi non ultra Innocentium II. electum a. 1130. procedit. Non igitur, ut fit, etiam Honorio Continuatores defuere.

IV. fol. 131. Incipit liber de miseria humane conditionis editus a lothario diacono qui postea Innocentius papa III. appellatus est. Exemplar elegans, vetustum, ad ipsius Autoris, qui a. 1216. obiit,

tempora accedens Libelli pii a me saepius relati, qui init: Dominus patri karissimo N. portuen. episcopo lotharius indignus dyaconus &c.

*V. fol. 164. Sermones II. eadem manu exarati. Prior De Animabus, videlicet in Commemoratione Fidelium Defunctorum, incipit ita: *Licet fideles communient in ordine suo, modo suo, sed in hodiernis omnes similiter conuescuntur et communiter uocantur &c.* Alter De Pascha domini ita: *Surgens ihesus mane prima sabbati &c.* Decies dominus ihesus apparuisse legitur &c.*

VI. fol. 169. p. 2. Incipiunt exempla de beata virgine. Sunt numero XIII. piae credulitatis argumenta praecipue de Cantu: Salve Regina. Initium est: Ad honorem partus beatissime virginis que non solum peperit sine dolore &c.

*VII. fol. 175. Incipit genealogia biblie magistri (Petri) pietauiensis. Istud a secunda manu; Textus vero ipse minutus quidem, sed ut vix quidquam nitidius videre possis. Eandem laudem merentur Schemata orbiculata, quibus distinguitur, Figurae item miniatae primorum Parentum, Arcae Noae, Mansionum et Castrorum Populi Israel, et urbis Jerusalem. Egi de hoc memoriae Adjumento Vol. I. P. I. col. 432. Quid compleatatur, ex his Prooemii verbis liquet: *Ab adam inchoans per patriarchas judices reges et prophetas et sacerdotes eis contemporaneos usque ad christum finem nostrum ordinem perduxii. In Exemplo**

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 813

1705

ASCETICI.

1706

plo praesenti extremum est trium
Mariarum discrimen.

DCCX.

U. 471 Codex chartaceus lat. Sec.
XV. Folior. nunc 128. f. per du-
as columnas non una manu exa-
ratus, rubricis distinctus, et olim
a M. Thoma Haselbachio legatus
ad Collegium, ut praefertur, Bea-
te marie virginis domus rubee rose
apud fratres predicatorum in Wyen-
na varia ad Henricum de Lan-
genstein, dictum de Hassia, pri-
mum Gymnasii nostri Plantatorem,
ut in ejus Vita P. I. Scriptt. Univ.
Vien. p. 35. adpellatur, perti-
nentia continet, quae ordine indi-
camus. I. videlicet occurrit, quem
admodum in calce dicitur, *Ex-
positio Pater noster Magistri Hein-
rici de Hassia pie memorie. Inscris-
pta est illa Ekchardo (Derschio
† 1405.) episcopo Vurmaciensis*,
et incipit: *Divina sapientia rebus
omnibus decorum ordinis &c. ut a-
pud Trithem. n. 684. et Pezium
in Dissert. Isagog. T. I. Thes.
Anecd. p. 77. item in duplice ve-
tusta Editione s. l. et a. quarum
una f. altera 4.*

II. fol. 7. succedit, ut habet
calx, *Prologus Biblie per illumina-
tum quendam Magistrum ac pro-
fessorem sacre Pagine Heinricum
de Hassia editus*, qui ita orditur:
*In principio creauit deus celum et
terram. Ita scribitur in capite to-
cius diuine scripture que incipit a
libro genesis quem ideo exponere
intendo adiuuante Domino ut in
Wiennensi vniuersitate nouum sa-*

*cre theologie studium incipiat a ca-
pite vniuersalium diuinalium scri-
pturarum. &c. Urbani VI. Bulla,
quae Academiae Vindobonensis Ca-
thedram theologicam adtribuit,
est anni 1384. Ad hunc igitur,
aut sequentem annum Prologum
nostrum referemus, qui maxima
sui parte commentatur in Episto-
lam Hieronymi ad Paulinum Bib-
liis praefigi solitam, et in ejus
Praefationem in Pentateuchum ad
Desiderium. Ex ejus mole facile
conjicias, quam vasta futura sit
ipsa sacri Textus expositio, de
qua in classe sua agimus. No-
runt Prologum hunc Fabricius,
Pezius &c.*

III. fol. 108. p. 2. Brevis In-
stitutio de Indulgentiis, quae inci-
pit: *Notandum. Ad hoc quod in-
dulgentie valeant, quatuor requi-
runtur principaliter. Requiritur
enim auctoritas in conferente, y-
doneitas in recipiente, pietas in fi-
ne, utilitas in opere &c.*

IV. fol. 110. Sermones III. de
B. V. Maria. 1) In Annuntiatio-
nen: *Dixit Maria ad angelum.
Quomodo fiet istud. Scriptum est
Luce primo et in ewangelio festiui-
tatis bodierne, Patres et Domini
Reuerendi. Si magna et mirabilia
buius festiuitatis velimus contente
pensare mysteria &c. 2) ut in cal-
ce: Sermo predicatus per Reue-
rendum Magistrum H. de hassia de
conceptione gloriose Virginis Ma-
rie 1398. in illud: *Edificauit Do-
minus Deus costam in mulierem.
Scribitur gen. 2° capitulo. Init: Ad
laudem gloriose virginis marie de
ipsius conceptione quam deuocio quo-
run-**